

dem similitudine & proportione, quâ progrediuntur corpora, quâ evadunt organa & functiones omnes corporis & animi, ab infantia ad adultam aetatem. Patet inquam infantes dici propriè peccare ad similitudinem transgressionis adultorum, secundum illam similitudinem, sive proportionem peccati, non secundum actum ipsum peccati.

Quem scilicet actum non possunt infantes: & quem si possent, jam non peccarent ad similitudinem, sed ad veritatem ipsam transgressionis adultorum. Peccavisse ergo censendum est infantes ad similitudinem sive proportionem illam transgressionis Adami adulti. Demonstrabitur autem inferius nullam dari similitudinem peccatorum actualium, secundum illam acceptionem quâ similitudo intelligi hic debuit.

## CAPUT VIII.

Anxietas Interpretum in explicatione horum versuum. Statuere primos homines creatos antè Adamum, neque officere doctrinæ Christianæ, neque historiæ Geneseos: imo utramque elucidare. Congruere omninò cum historiis & monumentis Gentium.

**NEQUE** vero mirum prorsus mihi videtur, quod Interpretes Versus illos Apostoli tractantes, feliciter minus elucidaverint. Angebantur enim undique in explicatione hujus loci, usque ad Legem. Vel enim Lex illa intelligenda erat de lege datâ Mosi, vel de lege datâ Adamo. Si lex illa intelligebatur de lege datâ Mosi: asserendum erat peccatum fuisse in mundo, ante Mosem & usque ad Mosem; peccatum vero per illud tempus non fuisse imputatum. Si lex illa intelligebatur de lege data Adamo: statuendum erat peccatum fuisse in mundo antè